tis vox, vivus ejusdem calamus neminem pateretur, vel in dicendo tardum, vel in exercendo nimis ignavum. Theologi nomen meruit, *qvi non solum esset in qvolibet religionis apice fidelissimus ac purissimus, sed qvi christianum simul animum, & mysticam Redemptoris unionem orthodoxè profiteretur, qvoties redeunte Pentecostes festo textum suum funebrem, de dilectione Patris, qvi mundo Filium dedisset, solenni concione dilucidaret, æternæq; vitæ prægustum audientibus instillaret.* Politicum fuisse nemo dubitat, *qvi* SERENISSIMAS ABBATISSAS, *ac præcipuos* Earundem Ministros *sibi devinxit, qvi nobiliora Magistratuum Collegia suis discipulis replevit, qvi tandem in eo laborum & occupationum strepitu, politiores etiam linguas, ad miracnlum reddidit familiares ac penè vernaculas.* Optimi Parentis gloriam reportavit; *qvi liberos orbi traderet meritis ac virtutibus insignes.* Vivit adhuc paternisq; solatiis adest SAMUEL HENRICUS, studiis, peregrinationibus, negotiis, tanto qvidem illustrior, qvod digniorem inter Consiliarios Saxonicos locum occupavit. Utinam vivacior fuisset JOHANNES TOBIAS Medicinæ Licentiatus & apud Gvelferbytanos Practicus: cujus tamen desiderio par fuit Gener LEONHARDUS CHRISTOPHORUS STURMIUS primo Gvelferbyti, nunc in Academia Noricorum Professor celeberrimus.

Eqvidem, ut anni Climacterici facere mentionem liceat, cum SCHMIDIUS hic noster ad istum vivendi terminum perveniset, Patriam suam denuo, vel ut ipse conjiciebat, ultimo spectare constituerat. Tum nihil omissum, qvod vel Hospiti tam præclaro, vel meo simul amori satisfaceret. Instruxeram Primæ Classis Auditorium, in qvo pranderet ipse cum Patronis, qvos olim in Spiritus S. hac officina socios & æmulos habuisset. Nec deerant læta Symphonistarum officia, si vel maximè communis provinciæ luctus instrumentorum usu nobis interdiceret. Qvæ qvantum ipsi placuissent, transmisso postea carmine testatus est, cujus ultimas strophas latinis verbis referre libet. *Postremum*, ait, *vidi Patriam, cujus ulteriore conspectu qvia carendum est, imago tamen cordi fideliter impressa cogitationibus obversabitur, ut, qvicqvid decesserit adspectui, perpetuis vel officiis, vel præconiis resarciatur. Floreat optima ZITTAVIA, cujus muros divina cingat benignitas. Fortuna sit immutabilis, ut qvi fines adeo charos incolunt, suam suorumq; gloriam perpetuo salvam & constantem agnoscant.* Cæterum ubi paululum abfuisset a Qvedlinburgensibus, tres e diversis locis nuncii referunt, in itinere fatis ereptum SCHMIDIUM: qvæ tamen res, qvo tristioribus animis illaberetur, tanto majorem redeuntis lætitiam attulit: nec a carmine satis amabili temperare sibi potuit M. Benedictus Drebesius, circuli Jerichovensis Inspector, & Ecclesiæ Burgensis Pastor, qvondam Viri meritissimi discipulus.

Qvid